

mereretur eloquia, quibus pro usu temporalis vitæ futuri aliquid nosceretur, ad terrenam Civitatem pertinuisse, quis ambigat? ubi autem legitur: « Ecce dies veniunt, » dicit Dominus, et consummabo domui Israël et domui » Juda testamentum novum, non secundum testamentum, » quod disposui patribus eorum, in die qua apprehendi » manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: » quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et » ego neglexi eos, dicit Dominus: Quia hoc est testamen- » tum, quod constituam domui Israël: post dies illos, » dicit Dominus, dabo leges meas in mentem eorum, et » super corda eorum scribam eas, et videbo eos, et ero » illis id Deum, et ipsi erunt mihi in plebem¹: » Jerusalem sine dubio superna prophetatur, cujus Deus ipse præmium est, eumque habere atque ipsius esse summum illi est atque totum bonum. Ad utramque vero pertinet hoc ipsum, quod Jerusalem dicitur Dei Civitas, et in ea prophetatur futura domus Dei, eaque prophetia videtur impleri, cum Salomon rex ædificat illud nobilissimum templum. Hæc enim et in terrena Jerusalem secundum Historiam contigerunt², et cœlestis Jerusalem figuræ fuerunt. Quod genus prophetiæ ex utroque veluti compactum atque commixtum in Libris veteribus canonicis, quibus rerum gestarum narrationes continentur, valet plurimum, multumque exercuit et exercet ingenia scrutantium Litteras sacras, ut quod historice prædictum completumque legitur in semine Abrahamæ secundum carnem, etiam in semine Abrahamæ secundum fidem quid implendum allegorice significet inquiratur: in tantum ut quibusdam visum sit, nihil esse in eisdem Libris vel prænuntiatum et effectum, vel effectum, quamvis non prænuntiatum, quod non insinuet aliquid ad supernam Civitatem Dei ejusque filios in hac vita peregrinos

¹ Jerem. xxxi, 31-33. — ² 3 Reg. vi.

figurata significatione referendum. Sed si hoc ita est, jam bipertita, non tripertita erunt eloquia Prophetarum, vel potius illarum Scripturarum omnium, quæ veteris Instrumenti appellatione censentur. Nihil enim erit illic, quod ad Jerusalem terrenam tantum pertineat, si quiquid ibi de illa, vel propter illam, dicitur atque completur, significat aliquid, quod etiam ad Jerusalem cœlestem allegorica præfiguratione referatur: sed erunt sola duo genera, unum quod ad Jerusalem liberam, alterum quod ad utramque pertineat. Mihi autem sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud præter id quod eo modo gestæ sunt significare arbitrantur; ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt. Ideo tripertita, non bipertita esse dixi. Hoc enim existimo, non tamen culpans eos, qui potuerint illic de quacumque re gesta sensum intelligentiæ spiritualis exculpere, servata primitus duntaxat historiæ veritate. Cæterum quæ ita dicuntur, ut rebus humanitus seu divinitus gestis, sive gerendis convenire non possint, quis fidelis dubitet non esse inaniter dicta? Quis ea non ad intelligentiam spiritalem revocet, si possit, aut ab eo qui potest revocanda esse fateatur?

CAPUT IV.

De præfigurata commutatione israelitici regni et sacerdotii, et de his, quæ Anna mater Samuelis, personam gerens Ecclesiæ, prophetavit.

I. PROCURSUS igitur Civitatis Dei, ubi pervenit ad regum tempora, quanto David, Saule reprobato, ita regnum

primus obtinuit¹, ut ejus deinde posteri in terrena Jerusalem diuturna successione regnarent, dedit figuram, re gesta significans atque prænuntians, quod non est prætereundum silentio de rerum mutatione futurarum, quod attinet ad duo Testamenta, Vetus et Novum: ubi sacerdotium regnumque mutatum est per sacerdotem eundemque regem novum ac sempiternum, qui est Christus Jesus. Nam et Heli, sacerdote reprobato, substitutus in Dei ministerium Samuël, simul officio functus sacerdotis et iudicis, et Saül obiecto rex David fundatus in regno, hoc quod dico figuraverunt. Mater quoque ipsa Samuëlis Anna, quæ prius fuit sterilis, et posteriore fecunditate lætata est, prophetare aliud non videtur, cum gratulationem suam Domino fundit exultans: quando eundem puerum natum et allactatum Deo reddit eadem pietate, qua voverat, Dicit enim: « Confirmatum est cor meum in Domino, et » exaltatum est cornu meum in Deo meo. Dilatum est » super inimicos meos os meum: lætata sum in salutari » tuo. Quoniam non est sanctus, sicut Dominus; et non » est justus, sicut Deus noster: non est sanctus præter » te. Nolite gloriari superbe, et nolite loqui excelsa, neque » procedat magniloquium de ore vestro. Quoniam Deus » scientiarum Dominus, et Deus præparans adinventio- » nes suas. Arcum potentium fecit infirmum, et infirmi » præcincti sunt virtute. Pleni panibus minorati sunt, et » esurientes transierunt terram. Quia sterilis peperit » septem, et multa in filiis infirmata est. Dominus mortifi- » cat et vivificat; deducit ad inferos, et reducit. Domi- » nus pauperes facit, et ditat; humiliat, et exultat. Sus- » citat a terra pauperem, et de stercore erigit inopem: » ut collocet eum cum potentibus populi, et sedem gloriæ » hæreditatem dans eis: dans votum voventi, et benedixit

¹ Reg. xvi.

» annos justus: quoniam non in virtute potens est vir. Do- » minus infirmum faciet adversarium suum. Dominus » sanctus. Non gloriatur prudens in prudentia sua, et » non gloriatur potens in potentia sua, et non gloriatur » dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, » intelligere et scire Dominum, et facere iudicium et jus- » titiam in medio terræ. Dominus ascendit in cœlos, et » tonuit: ipse iudicabit extrema terræ, quia justus est: » et dat virtutem regibus nostris, et exaltabit cornu Christi » sui¹. »

II. Ita-ne vero verba hæc unius putabuntur esse mulierculæ, de nato sibi filio gratulantis? Tantum-ne mens hominum a luce veritatis aversa est, ut non sentiat supergredi modum fœminæ hujus dicta quæ fudit? Porro qui rebus ipsis, quæ jam cœperunt etiam in hac terrena peregrinatione compleri, convenienter movetur, nonne intendit, et aspicit, et agnoscit per hanc mulierem, cujus etiam nomen, id est, Anna, gratia ejus interpretatur, ipsam religionem christianam, ipsam Civitatem Dei, cujus rex est et conditor Christus, ipsam postremo Dei gratiam prophetico Spiritu sic locutam, a qua superbi alienantur, ut cadant, qua humiles implentur, ut surgant, quod maxime hymnus iste personuit? Nisi quisquam forte diciturus est nihil istam prophetasse mulierem, sed Deum tantummodo propter filium, quem precata impetravit, exultanti prædicatione laudasse. Quid ergo sibi vult quod ait: « Arcum potentium fecit infirmum, et infirmi præ- » cincti sunt virtute: pleni panibus minorati sunt, et esu- » rientes transierunt terram: quia sterilis peperit sep- » tem, et multa in filiis infirmata est? » Numquid septem ipsa pepererat, quamvis sterilis fuerit? Unicum habebat, quando ista dicebat: sed nec postea septem peperit, sive

¹ Reg. ii, 1-10.

sex, quibus septimus esset ipse Samuël; sed tres mares, et duas foeminas. Deinde in illo populo cum adhuc nemo regnaret, quod in extremo posuit: « Dat virtutem regibus nostris, et exaltabit cornu Christi sui; » unde dicebat, si non prophetabat?

III. Dicat ergo Ecclesia Christi, Civitas Regis magni, gratia plena, prole foecunda; dicat quod tanto ante de se prophetatum per hos hujus piæ matris agnoscit: « Confirmatum est cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo. » Vere confirmatum cor, et cornu vere exaltatum; quia non in se, sed in Domino Deo suo. « Dilatum est super inimicos meos os meum: » quia et in angustiis pressurarum sermo Dei non est alligatus, nec in præconibus alligatis. « Lætata sum, inquit, in salutari tuo. » Christus est iste Jesus, quem Simeon, sicut in Evangelio legitur, senex amplectens parvum, agnoscens magnum: « Nunc dimittis, inquit, Domine, servum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum¹. » Dicat itaque Ecclesia: « Lætata sum in salutari tuo. Quoniam non est sanctus, sicut Dominus; et non est justus, sicut Deus noster: » tanquam sanctus et sanctificans, justus et justificans: « Non est sanctus præter te? » quia nemo fit nisi abs te. Denique sequitur: « Nolite gloriari superbe, et nolite loqui excelsa, neque exeat magniloquium de ore vestro. Quoniam Deus scientiarum Dominus. » Ipse vos scit, et ubi nemo scit quoniam: « Qui putat se aliquid esse, cum nihil sit, se ipsum seducit². » Hæc dicuntur adversariis Civitatis Dei ad Babyloniam pertinentibus, de sua virtute præsumptibus, in se, non in Domino gloriantibus; ex quibus sunt etiam carnales Israëlita, terrenæ Jerusalem cives terrigenæ, qui, ut dicit Apostolus, » Ignorantes Dei justi-

¹ Luc. II, 29, 30. — ² Gal. VI, 3.

» tiam¹, » id est, quam dat homini Deus, qui solus est justus et justificans; et « Suam volentes constituere², » id est, velut a se sibi partam, non ab illo impertitam: « Justitiæ Dei » non sunt subjecti³, » utique quia superbi, de suo putantes, non de Dei, posse placere se Deo, qui est Deus scientiarum, atque ideo et arbiter conscientiarum, ibi videns cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt⁴, si hominum sunt, et ab illo non sunt. « Et præparans, inquit, » ad inventiones suas. » Quas ad inventiones putamus, nisi ut superbi cadant, et humiles surgant? Has quippe ad inventiones exequitur, dicens: « Arcus potentium infirmatus est, et infirmi præcincti sunt virtute. » Infirmatus est arcus, id est, intentio eorum, qui tam potentes sibi videntur, ut sine Dei dono atque adjutorio humana sufficientia divina possint implere mandata; et præcinguntur virtute, quorum interna vox est: « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum⁵. »

IV. « Pleni panibus, inquit, minorati sunt, et esurientes transierunt terram. » Qui sunt intelligendi pleni panibus, nisi iidem ipsi quasi potentes, id est, Israëlita, quibus credita sunt eloquia Dei⁶? Sed in eo populo ancillæ filii minorati sunt: quo verbo minus quidem latino, bene tamen expressum est, quod ex majoribus minores facti sunt: quia et in ipsis panibus, id est, divinis eloquiis, quæ Israëlita soli tunc ex omnibus gentibus acceperunt, terrena sapiunt. Gentes autem, quibus lex illa non erat data, posteaquam per Novum Testamentum ad eloquia illa venerunt, multum esuriendo terram transierunt; quia in eis non terrena, sed coelestia sapuerunt. Et hoc velut quæreretur causa cur factum sit: « Quia sterilis, inquit, » peperit septem, et multa in filiis infirmata est. » Hic te-

¹ Rom. X, 3. — ² Ibid. — ³ Ibid. — ⁴ Psal. XCIII, 13. — ⁵ Id. VI, 3. — ⁶ Rom. III, 2.

tum quod prophetabatur eluxit agnoscentibus numerum septenarium, quo est universæ Ecclesiæ significata perfectio. Propter quod et Joannes apostolus ad septem scribit Ecclesias¹, eo modo se ostendens ad unius plenitudinem scribere : et in Proverbiis Salomonis hoc antea præfigurans : « Sapientia ædificavit sibi domum, et suffulsi columnas septem². » Sterilis enim erat in omnibus gentibus Dei Civitas, antequam iste foetus, quem cernimus, oriretur. Cernimus etiam, quæ multa in filiis erat, nunc infirmatam Jerusalem terrenam. Quoniam quicumque filii liberæ in ea erant, virtus ejus erant : nunc vero ibi quoniam littera est, et spiritus non est, amissa virtute infirmata est.

V. « Dominus mortificat, et vivificat ; » mortificavit illam, quæ multa erat in filiis ; et vivificavit hanc sterilem, quæ peperit septem. Quamvis commodius possit intelligi eosdem vivificare, quos mortificaverit. Id enim velut repetivit addendo : « Deducit ad inferos, et reducit. » Quibus enim dicit Apostolus : « Si mortui estis cum Christo, » quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens³, salubriter utique mortificantur a Domino : quibus adjungit : « Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram⁴ ; » ut ipsi sint illi, qui esurientes transierunt terram. « Mortui enim estis, » inquit : ecce quomodo salubriter mortificat Deus. Deinde sequitur : « Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo⁵ ; » ecce quomodo eosdem ipsos vivificat Deus. Sed numquid eosdem deduxit ad inferos et reduxit ? Hoc utrumque sine controversia fidelium in illo potius videmus impletum, capite scilicet nostro, cum quo vitam nostram in Deo Apostolus dixit absconditam. Nam cum « Proprio Filio non

¹ Apoc. i, 4. — ² Prov. ix, 1. — ³ Col. iii, 1. — ⁴ Ibid. 2. — ⁵ Ibid. 3.

» peperit, sed pro nobis omnibus tradidit eum¹, » isto modo utique mortificavit eum. Et quia resuscitavit a mortuis, eundem rursus vivificavit. Et quia in prophetia vox ejus agnoscitur, « Non derelinques animam meam in inferno², » eundem deduxit ad inferos et reduxit. Hac ejus paupertate ditati sumus. « Dominus enim pauperes » facit, et ditat. » Nam quid hoc sit ut sciamus, quod sequitur audiamus : « Humiliat, et exaltat ; » utique superbos humiliat, et humiles exaltat. Quod enim alibi legitur : « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam³ ; » hoc totus habet sermo hujus, cujus nomen interpretatur gratia ejus.

VI. Jamvero quod adjungitur : « Suscitavit a terra pauperem ; » de nullo melius quam de illo intelligo, qui « Propter nos factus est pauper, cum dives esset, ut ejus » paupertate, sicut paulo ante dictum est, ditaremur.⁴ » Ipsum enim de terra suscitavit tam cito, ut caro ejus non videret corruptionem. Nec illud ab illo alienabo, quod additum est : « Et de stercore erigit inopem⁵. » Inops quippe idem, qui pauper. Stercus vero unde erectus est, rectissime intelliguntur persecutores Judæi, in quorum numero cum se dixisset Apostolus Ecclesiam persecutum : « Quæ mihi, inquit, fuerunt lucra, hæc propter Christum damna esse duxi : nec solum detrimenta, verum » etiam stercore existimavi esse, ut Christum lucrifacere⁶. » De terra ergo suscitatus est ille supra omnes divites pauper, et de illo stercore erectus est supra omnes opulentos ille inops : « Ut sedeat cum potentibus populi, quibus ait : « Sedebitis super duodecim sedes⁷. Et sedem » gloriæ hæreditatem dans eis. » Dixerant enim potentes

¹ Rom. viii, 32. — ² Psal. xv, 10. — ³ Jacob. iv, 6. et 1 Petr. v, 5. — ⁴ 2 Cor. viii, 9. — ⁵ Psal. cxii, 7. — ⁶ Philip. iii, 7, 8. — ⁷ Matth. xix, 28.

illi : « Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te¹; » hoc votum potentissime voverant.

VII. Sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuo dictum est : « Dans votum voventi? » Alioquin ex illis essent potentibus, quorum infirmatus est arcus. « Dans, » inquit, votum voventi. » Non enim Domino quisquam quidquam rectum voveret, nisi qui ab illo acciperet quod voveret. Sequitur : « Et benedixit annos justi : » ut cum illo scilicet sine fine vivat, cui dictum est : « Et anni tui » non deficient². » Ibi enim stant anni, hic autem transeunt, imo pereunt : antequam enim veniant, non sunt; cum autem venerint, non erunt, quia cum suo fine veniunt. Horum autem duorum, id est : « Dans votum » voventi, et benedixit annos justi; » unum est quod facimus, alterum quod sumimus. Sed hoc alterum Deo largitore non sumitur, nisi cum ipso adiutore primum illud efficitur : « Quia non in virtute potens est vir. Dominus infirmum faciet adversarium ejus : » illum scilicet qui homini voventi invidet, et resistit, ne valeat implere quod vovit. Potest ex ambiguo græco intelligi et « Adversarium suum. » Cum enim Dominus possidere nos coeperit, profecto adversarius, qui noster fuerat, ipsius fit, et vincitur a nobis; sed non viribus nostris : « Quia non » in virtute potens est vir. Dominus ergo infirmum faciet » adversarium suum, Dominus sanctus; » ut vincatur a sanctis, quos Dominus sanctus sanctorum effecit sanctos.

VIII. Ac per hoc, « Non gloriatur prudens in prudentia sua, et non gloriatur potens in potentia sua, et non » gloriatur dives in divitiis suis : sed in hoc gloriatur, qui » gloriatur, intelligere et scire Dominum, et facere iudicium et justitiam in medio terræ. » Non parva ex parte intelligit et scit Dominum, qui intelligit et scit etiam hoc

¹ Matth. xix, 27. — ² Psal. ci, 28.

a Domino sibi dari, ut intelligat et sciat Dominum : « Quid » enim habes, ait Apostolus, quod non accepisti? Si » autem et accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis¹? » id est, quasi a te ipso tibi sit, unde gloriaris. Facit autem iudicium et justitiam, qui recte vivit. Recte autem vivit, qui obtemperat præcipienti Deo : et « Finis præcepti, id » est, ad quod refertur præceptum, » charitas est de corde » puro, et conscientia bona, et fide non ficta². » Porro ista : « Charitas, sicut Joannes apostolus testatur, ex » Deo est³. » Facere igitur iudicium et justitiam, ex Deo est. Sed quid est, « In medio terræ? » Neque enim non debent facere iudicium et justitiam qui habitant in extremis terræ? quis hoc dixerit? Cur ergo additum est, « In medio » terræ? » Quod si non adderetur, et tantummodo diceretur, « Facere iudicium et justitiam, » magis hoc præceptum ad utrosque homines pertineret, et mediterraneos et maritimos. Sed ne quisquam putaret post finem vitæ, quæ in hoc agitur corpore, superesse tempus iudicium justitiamque faciendi, quam dum esset in carne non fecit, et sic divinum evadi posse iudicium; « In medio terræ, » mihi videtur dictum, cum quisque vivit in corpore. In hac quippe vita suam terram quisque circumfert, quam, moriente homine, recipit terra communis; resurgenti utique redditura. Proinde, « In medio terræ, » id est, cum anima nostra isto terreno clauditur corpore, faciendum est iudicium et justitia, quod nobis prosit in posterum, quando « Recipiet quisque secundum ea quæ per corpus » gessit, sive bonum, sive malum⁴. Per corpus » quippe ibi dixit Apostolus, per tempus quo vixit in corpore. Neque enim si quis maligna mente atque impia cogitatione blasphemet, neque id ullis membris corporis operetur, ideo non erit reus, quia id non motu corporis gessit, cum

¹ I Cor. iv, 7. — ² I Tim. i, 5. — ³ I Joan. iv, 7. — ⁴ 2 Cor. v, 10.

hoc per illud tempus gesserit, quo gessit et corpus. Isto modo congruenter intelligi potest etiam illud quod in Psalmo legitur: « Deus autem rex noster ante sæcula » operatus est salutem in medio terræ¹: » ut Dominus Jesus accipiatur Deus noster, qui est ante sæcula, quia per ipsum facta sunt sæcula, operatus salutem nostram in medio terræ, cum Verbum caro factum est, et terreno habitavit in copore².

IX. Deinde posteaquam prophetatum est in his verbis Annæ, quomodo gloriari debeat, qui gloriatur, non in se utique, sed in Domino, propter retributionem quæ in die iudicii futura est: « Dominus, inquit, ascendit in cælos, et tonuit: ipse iudicabit extrema terræ, quia » justus est. » Prorsus ordinem tenuit confessionis fidelium. Ascendit enim in cælum Dominus Christus, et inde venturus est ad vivos et mortuos iudicandos. « Nam quis ascendit, sicut dicit Apostolus, nisi qui et descendit » in inferiores partes terræ³? Qui descendit, ipse est et » qui ascendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia⁴. » Per nubes ergo suas tonuit, quas Spiritu sancto cum ascendisset implevit. De quibus ancillæ Jerusalem, hoc est, ingrata vineæ comminatus est apud Isaiam prophetam, ne pluant super eam imbrem⁵. Sic autem dictum est: « Ipse » iudicabit extrema terræ: » ac si diceretur: « Etiam extrema terræ. » Non enim alias partes non iudicabit, qui omnes homines procul dubio iudicabit. Sed melius intelliguntur extrema terræ, extrema hominis: quoniam non iudicabuntur, quæ in melius vel in deterius medio tempore commutantur, sed in quibus extremis inventus fuerit, qui iudicabitur. Propter quod dictum est: « Qui persevera- » verit usque in finem, hic salvus erit⁵. » Qui ergo per-

¹ Psal. lxxiii, 12. — ² Joan. 1, 14. — ³ Ephes. iv, 9, 10. — ⁴ Isai. v, 6. — ⁵ Matth. x, 22.

severanter facit iudicium et iustitiam in medio terræ, non damnabitur, cum iudicabuntur extrema terræ. « Et dat, » inquit, virtutem regibus nostris: » ut non eos iudicando condemnet. Dat eis virtutem, qua carnem sicut reges regant, et in illo mundum, qui propter eos fudit sanguinem, vincant. « Et exaltabit cornu Christi sui. » Quomodo Christus exaltabit cornu Christi sui? De quo enim supra dictum est: « Dominus ascendit in cælos, » et intellectus est Dominus Christus; ipse, sicut hic dicitur, « Exaltabit cornu » Christi sui. » Quis ergo est Christus Christi sui? An cornu exaltabit uniuscujusque fidelis sui, sicut ista ipsa in principio hujus hymni ait: « Exaltatum est cornu meum » in Deo meo¹? » Omnes quippe unctos ejus chrismate, recte Christos possumus dicere: quod tamen totum cum suo capite corpus unus est Christus. Hæc Anna prophetavit, Samuëlis mater, sancti viri, multumque laudati. In quo quidem tunc figurata est mutatio veteris sacerdotii, et nunc impleta, quando infirmata est quæ multa erat in filiis, ut novum haberet in Christo sacerdotium sterilis, quæ peperit septem.

CAPUT V.

De his, quæ ad Heli sacerdotem homo Dei prophetico locutus est Spiritu, significans sacerdotium, quod secundum Aaron institutum fuerat, auferendum.

I. SED hoc evidentius ad ipsum Heli sacerdotem missus loquitur homo Dei, cujus quidem nomen tacetur, sed intelligitur officio ministerioque suo sine dubitatione Pro-

¹ Reg. ii, 1.